

# NOBILIBVS ET AMPLISSIMIS VIRIS, BAL- THASARI AB HELLOV CANCELLARIO, ET IOANNI CHRYSOSTOMO KRAIS- fero. D. Consiliario Herbipolensibus, Dominis & Patronis suis perpetua obseruantia colen. S. P. D.



*A*crarum Legum acutissimus interpres Baldus Amplissimi uiri, ac patroni colendi, recte pronunciauit. Ferro uiam aperit, qui per contraria transit. Vnde optimo consilio à maioribus & præceptoribus nostris disputationum Scholasticarum exercitia instituta sunt, quemadmodum enim ex silice & ferro ignis, ita ex diuersarum sententiarum inter se comparatione ueritas excutitur, iuxta illud quod per summum Pontificem in c. graue XXXV. Quæst. IX. asseritur, ueritatem sæpius exagitatam magis in lucem splendescere. Quod cum uerissimum sit, decreuit ego quoque ingenio mei uirium periculum facere, idque ut faciam, pluribus impellor rationibus, in primis enim, me commouent exempla aliorum meorum comilitonum, quibus, strenue in hac iuris palæstra, aduersus suarum thesium impugnatores militantibus, suasque assertiones doctissimis & acutissimis solutionibus propugnantibus spectator, haud tam ociosus, affui. Accedit quoque, Clarissimi ac excellentissimi D. Doctoris Ioannis Ossanæ præceptoris mei omni obseruantia dignissimi, benignissima exhortatio, ac quidem sponte in præsidendo officium oblatum. Materiam uero Auth: Sacramenta puberum, quam defendendam suscepi, insignem ac in usu practico cognitu per necessariam esse, apud omnes in confesso est. Cum uero animo reuoluerem meo, cui potissimum ingenij mei primitias & publici certaminis labores dedicarem, nemo certe uobis amplissimis ac Clarissimis uiris magis idoneus occurrebat, quibus sanè, post Reuerendiss: atque Illustrissimum Episcopum Herbipolensem, ac Franciæ Orientalis Ducem, Dominum meum Clementissimum, non solum studiorum meorum fructus, sed omnem meam fortunam debere agnosco: Vtrosque enim studiorum fautores, & apud Reuerendiss. patronos me habere scio, libenterque profiteor. Quare amplissimi uiri, leuidense hoc, & tantis uiris minus quidem dignum munusculum; tanquam perpetuæ obseruantia pignus, æquis animis accipite. Quod si pro uestro candore & solito in me fauore factum animaduertero, multo me hilariorem, & animum ad ulteriores studiorum progressus præbebo alacriorem. Bene & foeliciter ualete. Data Ingolstadij. 24. Martij. Anno 1569.

V: Amplitud: Addict: Clienç,

Vuolphg: Lagus Iurium Baccalaureus.

Diuino implorato auxilio: Annuentibus, Decano, cæterisque Clarissimis, & excellentissimis Facultatis Iuridicæ Professoribus: Præsidente Ioanne Richardo ab Ofs, Syluæ ducensi, l. V. Doctore: Codicis, & ordinario institutionum Professore: subsequentes conclusiones defender e conabitur. V. V. L. R. I. B.

THESES DESVMPTE EX AVTH: SACRAMENTA PVBERVM, C. SI ADVER: VENDIT:

I.

**I**n primis, ne tota de Sacramentis puberum, disputatio corruat, damnamus illorum insanam sententiam, qui ex eo quod Christus secundum Euangelicam ueritatem, uoluerit sermonem nostrum esse, est, est, non, non, quodlibet iuramentum prohibitum esse contendunt.

2. Et quidem, Sacramenta puberum, usque adeo firmam pronunciamus, ut in ualidum contractum, reddant ualidum, & irreuocabilem.

3. Adeo, ut minori beneficium restitutionis adimant, Et foris adijciant foro, id est transferant in ciuili foro tractandam causam, ad Ecclesiasticum iudicem.

4. Nam, si quis (minor ne fuerit, an maior, hic non distinguimus) iurato contraxerit, poterit illum loci Episcopus, ad iuramenti satisfactionem compellere, etiamsi fuerit Laicus, ille qui iuramentum recusat adimplere.

5. Sed tamen ea, quæ de Sacramentis puberum affirmamus, nullum habent locum, si non fuerit minor de privilegijs suis factus certior.

6. Si non sponte, sed dolo, ui, uel metu fuerit ad iurandum inductus.

7. Quod statuto fieri potest, ut semper æstimetur, atque ita per indirectum Auth: nostra tolli.

8. Nam si conciperetur in hunc modum, Volumus omnia Sacramenta præstita à minoribus, perinde haberi, ac si per dolum, uel metu extorta fuissent: sequeretur huiusmodi Sacramenta puberes non obligare.

9. Cessabit quoque uigor Auth: nostræ, si minor ex contractu iurato læsus enormiter, absolutionem à sacramento petierit.

10. Quod facere poterit etiam si non accesserit propositi dolus, in ipsa læsione.

11. Præterea quoque nullius momenti fuerit iuramentum, ad hoc extortum, ne maleficorum querimoniam faciant.

12. Nunc, si quispiam forte quæsiuerit, propterea quod puberis hactenus semper meminimus, an ne ea quæ proposita sunt, in impubere quoque locum habeant, illi affirmatiue respondebimus, si modo fateatur, impuberem iuxta illud Prophetæ, in ueritate, iudicio & iustitia iurauisse.

13. Siquidem hi tres comites, quodlibet iuramentum desiderat.

## IMPERTINENTES.

I.

**Q**uod Corneus docuit, Angel: secutus, necessarium non esse ut hæres nomen suum in uentario subscribat, si totum hoc ipsum, manu propria scripserit ipse, falsum esse demonstrabimus.

2. Licet uerissimum sit, quod alias contra receptam quorundam opinionem defendimus, uenditorem præcisè teneri ad rem tradendam, tamen illud Martinum affirmamus non recte colligere, ex eo loco Inst: quo docet Imper: traditionis necessitatem, incumbere donatori, quamuis locus ille sic à plerisque accipiatur.

3. Sponsalitiæ largitatem in §. est & aliud, Inst: de donat: inepte confundi à nonnullis cum donatione propter nuptias, planum faciemus.

4. Falsum est, quod alibi tradidit Accursius, mortis causa donationem, contractibus magis similem esse, quam ultimis uoluntatibus.

5. Vnde consequitur, & illam rationem diuersitatis, quam reddunt interrogati DD. cur filius fam. mortis causa donare possit, cum patris consensu: legare autem non possit, etiamsi accesserit ille: iuri non esse consentaneam.

6. Quamobrem, nos aliam, & quidē ut speramus, in expugnabilem reddemus. Laus Deo.

Disputabunt hæ Theses, (fortunante Deo) proxima die Martis, quæ erit 29. Martij, circiter horam septimam in scholis Canonistarum.

Ingolstadij excudebat Alexander VVeiffenhorn.

NOBILIBVS ET AMPLISSIMIS VIRIS BAI  
 THASARI ABHELOV CANCELLARIO, ET IOANNI CHRYSOSTOMO KRAS  
 sero D. Consilio Heridolentibus, Dominis & Patris suis perperus obsequantibus colon. 2. P. D.



*[Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

Quo implore auxilio: Anthonibus Decano, ceterisque Christianis & excellencissimis Facultatis Lu  
 rici Professoribus: P. Thomeo Joanne Richardo ab Olshylus ducti, V. D. Doctori: Codicis & or  
 dinary in honore...  
 V. A. implend:  
 A. Thomeo: Chrus.

IMPERTINENTES.

*[Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

*[Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

Inpoltzji excudat Alexander VVillenhorn